DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,

DE

CAUSSIS CORRUPTÆ LINGUÆ LATINÆ PROXIMO POST IMPER. AUGUSTUM SECULO,

PARS PRIOR,

Quam,

Venia Ampl. Fac. Phil. Ab.

Publico examini modeſte deferunt

HENRICUS SNELLMAN,

Phil. Mag. & ad Reg. Acad. Biblioth.
Amanuenſis Extraord.

&

JACOBUS SIMELIUS,

Oſtrobotnienſes.

In Audit. Maj. die 2 *Junii* 1804.

H. A. M. S.

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

4

DE

CAUSSIS CORRUPTÆ LINGUÆ LATINÆ PROXIMO POST IMP. AUGUSTUM SECULO.

PROOEMIUM.

Ut in genere inventa quæque inſtitutaque humana, & imprimis ea, quæ culturæ cuidam morum ac ingenii ſolertiori, ceu fundamento, innituntur, docente omnium temporum Hiſtoria, & ſvadente vel ipſius rei natura, ex parvis plerumque & obſcuris lente proceſſerunt initiis; ſic etiam Linguæ, rudes ſcilicet, aſperæ & horridæ in primis ſuis natalibus, nonniſi ſenſim ac pedetentim, prout temporis demum decurſu feros ac incultos mores hominum atque animos politior quædam mitigavit humanitas & familiarius cum Muſis elegantioribus commercium, relicta paullatim primæ originis ſuæ barbarie, ad perfectionis culmen, quod vel olim attigerunt, vel hodie obtinent, progreſſæ ſunt. Accidit hoc Linguæ imprimis Latinæ, ex multis nimirum, vel maxime inter ſe diſſentientibus diverſorum populorum, inde a primis Rei Romanæ incunabulis in Italiam confluentium, agreſtibus ſæpe linguis, in unam concretæ; quæ itaque vel ſumma ſuæ poliendæ excolendæque hominum cura & induſtria adjuta, cum nonniſi poſt longum temporum ſpatium, graviſſimasque perruptas difficultates, lætam denique & decoram induere poſſet faciem; quanto magis turbidis illis ſeculis, quibus bellicoſa gens, mavortia tantum facinora magni habebat, curamque Muſarum pæne omnem, morumque mitiorum conſvetudinem deſpiciens, in ſolos arctæ ditionis ſuæ fines dilatandos ſummo incumbebat virium niſu, primævo atque inculto ſuo ſuc-

cumbere ſqualori neceſſe habuerit, facili perſpicitur negotio: quare nec magnopere quisquam mirabitur, in tam ferocis & agreſtis Gentis antiquiſſimis, quorum pauca admodum ætatem tulere, monumentis litterariis incomta barbararum vocum mixtura & aſpera dictionum colluvie ſpurcam & horridam nobis occurrere Latinam Linguam; quam itaque primævam ejus ætatem, *Barbaram* haud immerito dicere ſolent.

Ubi autem, aperto primum cum coloniis Græcorum in Italiam deductis commercio, elatis dehinc extra fines Italiæ bellicoſiſſimi populi victricibus armis *a*), & miſſa denique ſub Romanum jugum Græcia, litteris atque artibus quibusvis liberalibus dudum inclyta *b*), diſpelli denique cœperunt craſſiores ſaltim barbariei caligines & orienti paullatim cedere luci, lætius mox cœlum ſcientiis & artibus elegantioribus in Latio affulſit; donec præterlapſa ætate, *Semibarbara* vel *Media* nonnullis dicta *c*), ſortemque Muſis ac diſciplinis bellioribus mox inſtantem lætiſſimam, fauſtis auſpiciis portendente, illuceſceret ætas illa *Aurea*, quæ ſplendidiſſimam nobis exhibet cultiſſimæ & ad ſummum dignitatis faſtigium jam evectæ Latinæ Lin-

---

a) *Pœnico bello ſecundo Muſa Pinnato gradu*
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.
GELLII *Noct. Att.* Lib. XVII, cap. ult.

b) *Græcia capta ferum cepit victorem, & artes*
Intulit agreſti Latio.
HORAT. Epiſt. *I.* Lib. II.

c) Videtur noſtro quidem judicio, quod obiter tantum monuiſſe liceat, eorum caute ſequendam eſſe rationem, qui auream Latinæ Linguæ ætatem a ſecundo inde Punico bello ordiuntur, quare potius cum WALCHIO in *Hiſtoria Critica Latinæ Linguæ*, & aliis nonnullis, qui *Semibarbaram* ætatem vel *mediam*, *Barbaræ* illi & *Aureæ* interjectam volunt, rem faciendam eſſe putamus.

Linguæ conditionem, qua ætate ſummorum fertiliſſima ingeniorum Roma viros tulit tanta eloquentiæ laude inſignes, ut palmam vel clariſſimis Græciæ Oratoribus dubiam redderent *d*).

Sed quemadmodum vetare ſolent iniqua fata, quominus artes ſcientiæque, ad eximium quoddam perfectionis faſtigium evectæ, eidem per longam ſeculorum ſeriem inſideant, (cum circulum habeant res quævis humanæ volubilisque fortunæ legibus omnia ſub ſole pareant;) ita etiam, ſuccumbente libertate Romana, & concurrentibus undiquaque maligna quadam temporum iniquitate, tetris quamplurimis Reipublicæ evertendæ molitionibus, quibus perterrita eloquentia Romana demum quaſi obmutuit, in eorundem malorum ſocietatem Lingua quoque Latina ſucceſſu temporis adducta eſt. Quamvis vero in civitatibus, immoderato unius imperio ſubjectis, virili illi ac nervoſo dicendi generi raro ſit locus; ſub auſpiciis nihilominus & patrocinio vel potentiſſimi principis, modo litteris faveat, florere poſſunt artes ac ſcientiæ elegantiores ceteræ; quare & ſarta & integra fere imperante Auguſto ſervabatur elegantia Linguæ Latinæ & puritas. Ipſo autem defuncto, quo tutore bonæ quævis litteræ eximium in modum floruerant, cum regno jam potiretur Tiberius, & poſt illum longa peſſimorum Principum ſeries ſceptra inquinaret Romana, celerius quam crederes corrumpi cœpit ac deficere vera Latialis Linguæ

d) *"Wir werden bey der Vergleichung der vorzüglichen Geiſtes werke der Römer und der Griechen durchaus den Unterſchied finden, daſs in jenen mehr Regelmäſsigkeit und Kunſt, in dieſen mehr originellerer Geiſt herrſcht. Was die Griechen erfanden, wurde von den Römern weiter ausgebildet"* H. Blair's *Vorleſ. üb. Rhetorik und Schöne Wiſſenſchaft.* Zweit. Theil pag. 274.

gloria & dignitas, virilis ſuæ ætatis maſcula vi atque gravitate cito citius orbata, imminentisque ſenectutis jamjam præſentiens quaſi & redolens vitia *e*).

Subitam vero hanc labem, jam proximis poſt Auguſtum temporibus, cultisſimam corripuiſſe Linguam, teſtimoniis Criticorum maxime idoneorum, aureum Auguſti ævum excipientium, ſatis ſuperque comprobatum habemus *f*). Quemadmodum nec hodie eadem obſervatio ingenuum quemque ac peritum Romanæ elegantiæ æſtimatorem fugere poteſt. Quicunque enim vel mediocri Latinæ Linguæ præmunitus ſcientia, comparationem inſtituerit attentam inter optimos utriusque ætatis ſcriptores: *Ciceronem* ex gr. & *Senecam Philoſophum*, *Horatium* & *Juvenalem*, *Virgilium* & *Lucanum*, vel ſi mavis

e) "*Scite, meo quidem judicio, quidam ex eruditis dixere, vivum quoddam & ſpirans in Linguarum mutationibus humanæ vitæ exprimi ſimulacrum, ut quæ velut infantes in ſuo balbutiant ortu, cultu deinde artiſque diſciplina ſenſim adoleſcant, ac rurſum ex ejuſdem artis deſuetudine, ad priſtinam redigantur infantiam, vel etiam interdum omnino evaneſcant.*" *Præfat. ad Gloſſarium* Caroli Du Fresne Du Cange.

f) Loquitur e. g. de communi hac Linguæ cum Eloquentia corruptione, Seneca Rhetor, (qui ut ipſe de ſe teſtatur, omnes magni nominis in eloquentia audiverat, præter *Ciceronem*, quem bellorum civilium furor ei eripuerat) in *Proœmio Controverſiarum*: "*Non contenti exemplis ſeculi veſtri, prioris quoque vultis cognoſcere, ut poſſitis judicare, quantum quotidie ingenia decreſcant & neſcio qua iniquitate & ad malum pronitate naturæ eloquentia ſe retro tulerit. Quicquid Romana facundia habet, quod inſolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia quæ lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt. In deterius deinde quotidie data res eſt.*" Ut multos alios infauſtæ hujus depravationis teſtes taceam, quorum omnium de eodem malo querelis nec recenſendis, nec dijudicandis hæ pagellæ ſufficiunt.

vis *Valerium Flaccum* &c. quin illi non ſolum ſtili concinnitate & dictionis elegantia, verum caſtitate quoque & puritate ſermonis his multum prævaleant, diffiteri haud poterit.

Admirationem vero, quam primo ſaltem obtutu facile excitabit repentina hæcce & improviſa Linguæ corruptio, valde imminuent cauſæ ejusdem multæ & graves, attentius conſideratæ; quarum præcipua momenta, levi opuſculo, prout vires ſuſtinuerint juveniles, fuſius paullo perſtricturi, mitiorem L. B. ſperamus expetimusque cenſuram.

§. 1.

Aperto ſic diſquiſitionis noſtræ campo, mox in ipſo limine obſervaſe juvat *mutatam Imperii Romani conditionem* linguæ quoque Romanæ fuiſe fatalem & noxiam. Solent quidem, ut paſſim docet Hiſtoria, & jam dudum viri obſervarunt ſagaciſſimi, tempora vel inſolitis turbida motibus, vel publicas inſecuta tempeſtates, ingenia hominum erigere, & bonis tam moribus quam litteris haud raro lætiorem præmunire ſortem, cujus rei veſtigia quædam ævo etiam Auguſti obſervare licet; at turbulenta quæ tunc obtinuit reipublicæ mutatio, vel potius everſio, ejus proh dolor erat indolis, totque ac tantis ſtipata malis, ut delubra non ſolum Libertati avitæ, verum etiam Muſis elegantioribus olim poſita, vel occluderet, vel funditus omnino dirueret. Ea quippe eſt naturæ noſtræ innata ratio atque dignitas, ut quicunque ingenuus uberrimos atque jucundiſſimos almæ libertatis fructus guſtaverit, ſummumque hoc generis noſtri bonum, quo par eſt amore proſequi didicerit, fœdo ſervitutis atque tyranni dis jugo, neglectis ſcilicet juribus omni-

omnibus atque privilegiis, quæ liberum ornant hominem, se submittere quasi erubescat. Quis itaque mirabitur, si ingenia Romana, impositæ servitutis sensu jam quasi fracta & perculsa, desertis nobilioribus litterarum studiis, potius ad humiles adulandi artes, ad voluptates oblectamentaque varia, dolorum nempe lenimenta, sectanda, & denique ad mores vivendique ac loquendi rationem omnino serviles sensim descenderint *a*)? Auxit publicam calamitatem, quod præpotens legibusque solutum plurimorum Cæsarum imperium, pro lubitu ac cœco arbitrio summa imis miscentium, amorem illum litterarum, qui olim pectora summorum virorum inflammaverat, subreptis jam fere omnibus illum alendi fovendique auxiliis, quæ quidem non modo Respublica, libertate sua adhucdum superbiens *b*), verum etiam ætas Augusti

---

a) Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, ἤν τ' ἂν μιν κατὰ δῆλιον ἦμαρ ἕλησιν.
Hom. *Odyss.* P. v. 322, 323.

Ὥσπερ ἐν ἀκάω τὰ γλωττόκομα, ἐν οἷς οἱ πυγμαῖοι καλέμενοι νάνοι τρέφονται, ἃ μόνον κωλύειν τῶν ἐγκεκλεισμένων τὰς αὐξήσεις, ἀλλὰ καὶ συνάγειν διὰ τὸν περικείμενον τοῖς σώμασι δεσμόν. Οὕτως ἅπασαν δουλείαν, κἂν ἡ δικαιοτάτη, ψυχῆς γλωττόκομον, καὶ κοινόν, δή τις ἀποφήναιτο δεσμωτήριον." D. Longinus περὶ Ὕψους, Sect. XLIII.

b) Optime sane & ad Reipublicæ Romanæ conditionem satis accommodate depingit idem Auctor l. c. bona libertatis egregia: Ἡ Δημοκρατία τῶν μεγάλων ἀγαθή τιθηνός, ἢ μόνη σχεδὸν καὶ συνήκμασαν οἱ περὶ λόγους δεινοὶ, καὶ συναπέθανον. Θρέψαι τε γὰρ, φασιν, ἱκανὴ τὰ φρονήματα τῶν μεγαλοφρόνων ἡ ἐλευθερία, καὶ ἐφελκύσαι, καὶ ἅμα διωθεῖν τὸ πρόθυμον τῆς πρὸς ἀλλήλους ἔριδος, καὶ τῆς περὶ τὰ πρωτεῖα φιλοτιμίας. Ἔτι γε μὴν διὰ τὰ προκείμενα ἐν ταῖς

ſti *c*), Muſis amica exhibuerat multa atque efficacisſima, data quaſi opera ſæpe exſtingueret, metuentibus ſcilicet ſubdolis atque immitibus tyrannis, ne cives oppreſſi & male habiti, ſcientiarum luce aliquando colluſtrati, & jura ſua violata, & oppreſſorum nefanda facinora, noſſe denique ac deteſtari diſcerent *d*). Nexum igitur reputantantes, quem inter Litteras humaniores & Linguarum non modo culturam, verum conſervationem quoque & incolumitatem intercedere videmus, tam quidem arctum, ut mutuis ſubminiſtratis auxiliis, pari fere paſſu ad idem honoris & perfectionis faſtigium progreſſæ, eadem etiam plerumque cadant ruina; everſionem Reipublicæ Romanæ inter præcipuas corruptæ Linguæ Latinæ cauſſas referre non dubitamus. Ad Eloquentiam enim quod attinet Romanorum *Civilem* & *Deliberativam*, qua fere ſola adminiſtrabatur Respublica, emortua jam Libertate, cui & originem & florem quo olim emicuerat debebat, non potuit non ſenſim langueſcere, remotis jam præcla-

a

πολιτείαις ἔπαθλα, ἑκάστοτε τὰ ψυχικὰ προτερήματα τῶν ῥητόρων μελετώμενα ἀκονᾶται, καὶ οἷον ἐκλείβεται, καὶ τοῖς πράγμασι κατὰ τὸ εἰκὸς ἐλεύθερα συνεκλάμπει."

c) Poëſin Romanam Auguſti imprimis tempore ſplendidisſimam enituiſſe, vel ſolis conſtat nominibus *Horatii*, *Virgilii*, & *Ovidii*. Nec mirum. Amant enim pacatam ſedem molles atque dulces Camœnæ durum plerumque horrentes Martem. Hinc etiam ſub quieto patrocinio & auſpiciis placidis litteras vere foventis atque tuentis Principis, qualis in Auguſto orbi contingebat Romano, lætiorem experiebantur ſortem quam turbulentis illis Reipublicæ temporibus, quibus contra iniqua oppreſſorum libertatis conamina, plus armis ſæpe valebat nervoſior oratorum eloquentia.

d) Unum attuliſſe ſufficiat *Neronis* exemplum triſtisſimum, de cujus imperio monet Plinius Junior, "*omne tum ſtudiorum genus paulo liberius & erectius periculoſum ſervitutem fecisſe.*" L. III. Ep. 5.

ris dicendi materiis, quas amor patriæ olim ſubminiſtraverat, donec ſervitio vilium adulatorum addicta, nativoque & ingenuo ſuo decore ſpoliata, tabe tandem deperiret omnino inhoneſta. Verſabatur quidem Auguſtus, amorem populi callide non minus quam ſollerter ſibi conciliaturus, tam caute in ſumma illa legibusque exempta, quam olim rapuerat, tuenda poteſtate, ut populo ſpecies quædam priſtinæ relinqueretur libertatis *e)*; at cum tamen re ipſa illimitatum jam tum ſapientiorum oculis obverſaretur Imperium *f)*, eloquentia de qua loquimur, inde a quo civitatis gubernacula occupaverat, ſilere cœpit ac labefactari, & ſub ſequentibus dein Principibus tota tandem occubuit. Gerebantur publica negotia non amplius in foro & concionibus coram populo, ſed vel in conclavibus Imperatorum, vel in Senatu, ex ſervitute ſua principisque emendicato favore unicam jam captante gloriolam. Neque ſonabat amplius Romæ oratorum grandiloqua illa facundia, qua ſopita olim erant bella, fractæ inteſtinæ ſeditiones, ſuggeſta liberis civibus conſilia, verbo: publica procurata ſalus & ſecuritas; verum relictis roſtris deſertoque foro, ſervituti adſveſcere diſcebat Reipublicæ regendæ curis jamjam ſolutus populus, vocemque ſollicite reprimebat non minus immoderatæ dominationis metu, quam aulæ & imperatoriæ majeſtatis ſplendore attonita eloquentia, ſua Reipublicæque tri-

---

e) "*L'objet actuel d'Octavien étoit de conſerver l'extérieur des formes Républicaines, en même tems qu'il s'établiſſoit de plus en plus dans la poſſeſſion d'une autorité Monarchique.*" Hiſt. des Empereurs Romains par Mr. Crevier, Tome Pr. p. 16.

f) Dicit Idem l. c. pag. 34. "*Auguſte exerça donc le ſouverain pouvoir dans la République. — Dans le fait, le Gouvernement étoit changé, puiſque perſonne ne pouvoit plus exercer aucune autorité dans l'Etat, que dependamment d'un ſeul Chef.*"

triſtia fata tacito quaſi volvens dolensque pectore. Firmisſimum vero atque ſolidisſimum, deperdito hocce eloquentiæ genere, Linguæ Latinæ ereptum eſſe fulcrum, quis non videt? Quanto enim fervore quantaque æmulatione ſummi Reipublicæ Oratores in Lingua Patriæ accurate ediſcenda, diligenter excolenda, ornanda & perficienda, & a vitiis quibuscunque religioſe vindicanda, dudum verſati fuerint, in aprico eſt. Boni nempe atque egregii cum ſit oratoris, *mentes auditorum allicere, voluntatem impellere, & animis perſvadere*, hoc vero ipſum fieri numquam poſſit, niſi auribus ſimul hominum, ſvavitate vocis, elegantia ſermonis ac puritate, & dulci denique verborum harmonia atque concentu ſcite blandiatur *g*), omnemque fere argumentorum, etiam optimorum vim tollant ignorantia linguæ, barbaries ſermonis & verborum inſcitia; quin huic bene dicendi officio accurate ſatisfecerint præclari Romanorum Oratores ejus ætatis, qua flore pulcherrimo & in foro & in Rhetorum ſcholis Latina Lingua eminuit, dubitare tanto minus licet, quanto plura & certisſima in ſcriptis eorum quæ ſuperſunt nobis hujus rei proſtant teſtimonia.

Sed quamvis ſubacta jam libertate Romana, exſpiraverat, uti jam diximus, gravis illa & nervoſa Eloquentia, quam non niſi in liberis civitatibus florere & adoleſcere poſſe facile eſt ad intelligendum; omni tamen oratorum cura operaque haud orbata fuiſſet Lingua Latina, niſi ex nova Imperii permutati forma, plura alia in Eloquentiam Romanam redundaſſent incommoda. Viguerat dudum in foro præter genus dicendi Deliberativum,

g) — — — — — *La plus noble penſée*
Ne peut plaire à l'eſprit, quand l'oreille eſt bleſſée.
BOILEAU, *L'Art Poëtique*, Chant pr.

vum, aliud *Judiciale* vulgo appellatum, quod latisſimum inclareſcendi & vires tentandi campum Oratoribus olim aperuiſſe omnibus conſtat. Stante nimirum Republica, cum teſte Cicerone *h*) exiguus admodum eſſet Legum numerus, & Jus Civile ſingulis nondum adplicatum caſibus, ad ſolas fere eloquentiæ regulas lites inter cives coortæ in foro diſceptabantur & dirimebantur. Sublata vero Republica, ab hacce veterum in judiciis agendi conſvetudine, nova quadam urgente neceſſitate, tantum deflexerant Patroni cauſarum, ut Oratores haberi vix mereantur *i*). Cunctis enim civium juribus unius poteſtati & arbitrio ſubjectis, tota ſimul cauſas agendi ratio immutata eſt. Creverat quotidie moles Legum atque Edictorum ex decreto Cæſarum in foro Cauſidicis accurate obſervandorum, quo inſtituto omnis fere dicendi materia coram judicio illis prærepta eſt. Spinoſæ atque difficillimæ Juris Civilis diſciplinæ ab ineunte fere ætate deditis, ne tempus quidem ſuppetebat limatiori & ſubtiliori Eloquentiæ ſtudio, cujus præterea valde modicus, immo nullus fere in judiciis jam erat uſus; unde evenit ut paullatim plane revocaretur Juventus Romana ab Eloquen-

h) Affirmat nempe *nullam ſibi artem Jure Civili faciliorem videri.* De Orat. Lib. I, c. 41. Quamquam, ut innuit *Auctor Dialogi de cauſſ. corruptæ Eloquentiæ* Cap. 38, ætate jam Ciceronis numerus legum ingraveſcere cœperit: "*Primus* inquit *tertio Conſulatu Cn. Pompejus adſtrinxit impoſuitque veluti frenos eloquentiæ, ita tamen ut omnia in foro, omnia in legibus, omnia apud Prætores gererentur.*"

i) Miratur hinc & interrogat in initio *Dialogi* ſui Auctor cit. "*cur cum priora ſecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruerint, ſua potiſſimum ætas deſerta & laude orbata, vix nomen ipſum oratoris retineat? Neque enim*, pergit, *ita appellamus niſi antiquos. Horum autem temporum diſerti, cauſidici, & advocati, & patroni, & quidvis potius quam oratores vocantur.*"

quentia illa forenſi ediſcenda, cui tanto animo, tanta ſpe honorum & præmiorum, tanto denique inſontes cives tuendi deſiderio, Majores per ſecula ſtuduerant.

§. 2.

Corruente ſic Eloquentia Romanorum ex parte *Deliberativa*, & langueſcente non minus *Judiciali*, intra arctiſſimos nempe, quos novæ leges poſuere terminos redacta, omnem fere reliquam ejus laudem abstulit *Adulatio Cæſarum atque Optimatum turpis & indecora.* Dicebant quidem variis adhuc occaſionibus oratores: ut interdum in Senatu, vel etiam gratulaturi Imperatoribus, & encomiis eorum prædicandis intenti &c. at ſervilis plerumque & abjectiſſimæ adſentationis ſtudio ducti, in fucum puerilem, ineptias pæne aniles, inania verborum lenocinia, & mira arte contortas dictionum formulas adeo prolapſi, ut non ſolum omnem veræ eloquentiæ ſenſum, verum etiam, quod magis mireris, accuratam linguæ Patriæ ſ. vernaculæ cognitionem, qualem in priſcis gentis Romanæ Oratoribus obſervare licuit, in novis hisce declamatoribus jamjam periiſſe, cito & ubique appareat *a*).

a) Cfr. Funccius De Imminente Lat. Linguæ Senectute Cap. XI, §. 3. qui exempla etiam eidem loco inſeruit nonnulla hujus Linguæ corruptionis.

Videtur hinc ſuo non deſtitui fundamento, obſervatio Longini l. ſupr. c. "τὰς μὲν ἄλλας ἕξεις καὶ εἰς οἰκέτην πίπτειν, δοῦλον δε μηδένα γίνεσθαι ῥήτορα. Εὐθὺς γὰρ ἀναζεῖ το ἀπαρξησίαζον, καὶ οἷον ἔμφρεγον, ὑπὸ συνηθείας ἀεὶ κεκονδυλισμένον": quamvis nos, imprimis poſt introductam in noſtras Eccleſias Eloquentiam Homileticam, ab omni parte veram eſſe hanc Longini ſententiam non admittamus.

Neque Oratores ſolos hæc peſtis corripiebat, ſed luis inſtar exitialis ad alios etiam cujuscunque generis ſcriptores contagionem ſuam, Linguæ imprimis damnoſiſſimam diſpergebat *b*). *Poëtæ*, deteriores ſaltim, quorum haud exiguus erat numerus, gratiam Principum & Magnatum capturi, in laudibus eorum extollendis anxie jam verſabantur, & blanditias ſpurcas atque vernules titillantibus ſemper verbis ac inuſitatis dicendi formulis expreſſas accumulantes, licentia ſibi conceſſa in Linguæ perniciem fœde abutebantur. Neque ſi fidem teſtibus habere licet triſtiorem Poëtarum hujus ævi conditionem depingentibus *c*), multum mirabimur illorum quamplurimos ad nefandum hujuscemodi ſe demiſiſſe adulationis genus, cum non niſi divendendis carminibus ſuis victum & amictum Romæ invenire poſſent *d*); quibus igitur tanto conſultius erat turpe veritatem diſſimulandi, & Imperatoribus quomodocunque placendi ſtudium, quanto certiora illis imminerent pericula, qui vera libere patefacerent animi ſenſa. In tanta porro Poëtarum, vel verſificatorum ſaltem,

---

b) Cfr. Funccius l. c. Cap. I, §. XV.

c) Cfr. *Dial.* ſ. c. Cap. 8 & 9. Sic Martialis Valerium Flaccum a ſtudio Poëſeos hoc argumento revocare conatur:

Romanum propius divitiusque forum eſt,
Illic æra ſonant: at circum pulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.
Lib. I. Epigr. 77.

d) Dolet jure de triſti hoc Poëtarum ſui ſeculi fato Juvenalis:

Gloria quantalibet quid erit, ſi gloria tantum eſt?
Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam facit cum Statius urbem,
Promiſitque diem, tanta dulcedine captos
Affixit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: ſed cum fregit ſubſellia verſa,
Eſurit, intactam niſi Paridi vendat Agauen. Sat. 7.

tem, lauream Apollinis affectantium, frequentia, quæ Roma jam ſcatebat *e*), & quorum plerosque eadem fere via ad gloriam contendere videas, cum tamen novitatis quadam & inſolitæ elegantiæ ſpecie pretium ſibi, delectationem lectoribus anxie conciliare vellent, fieri non potuit, quin nova quotidie & graviora in linguam irruerent dictionis vitia. Eundem in modum etiam *Hiſtorieos* ſequioris hujus ætatis, paucos ſi exceperis, ex iisdem fere rationibus ſeculi ſui ductos conſvetudine, priſtinam eloquentiæ gloriam ac Linguæ nitorem deſeruiſſe, tetra plerumque Principum facta ſcite magis laudantes quam candide deſcribentes, & ſcripta eorum loquuntur *f*), & boni, qui adhuc, quamvis rari, in corrupta Gente ſupererant cives dudum conqueſti ſunt. Quid? quod ſi candidiores quidam erectiorisque animi adeſſent ſcriptores, metu odii & periculorum veritati imminentium, genuina animi ſenſa artificioſis verborum involucris celare, & vagarum dictionum quaſi tenebris tegere cogebantur, ut duos plerumque ſenſus effata & judicia eorum admittant, veritasque non niſi magna difficultate ex illis erui queat. Hinc fieri non potuit quin male anxia & ſollicita oriretur verborum novorum haud optimorum captatio, ſpuriæque multæ atque ætati caſtiori inauditæ ſermoni Romano infarcirentur dicendi formulæ & pueriles elocutionis ineptiæ. Quod ſi igitur cum optimis Artis Criticæ Magiſtris contendere oportet, pulchritudinem veram atque ornatum genuinum ex ſola veritate verbis ſublatente pendere, nihilque Linguæ magis officere cuicunque, quam

e) Vid. Diſſert. Funccii de virili æt. Lat. Linguæ, Part. I, c. 3, §. 1. & *Ejusd.* Tract. ſ. cit. C. III, §. 3.

f) Vide ex. gr. laudes Tiberii Cæſaris ſatis impudicas apud Valer. Maximum in Prologo Tiberio dedicato, & paſſim apud Vellejum Paterculum.

quam affectatam verborum, ſine prægnanti iisdem ſubjecto ſenſu, elegantiam *g*); quantum Latina illa in manus horum illapſa nugatorum & aſſentatorum magnificorum, (Κόλακες μεγαλοφυεῖς *Longino* dicuntur), vocabula ſcilicet turgida & ſonora, ſine modo & judicio accumulantium, quin nova etiam ſine delectu & pro lubitu fingentium *h*), a nativa ſua deflecteret decentia & caſtitate, difficile haud erit judicatu.

§. 3.

Triſtes vero nebulas, quibus mox poſt Auguſtum infuſcari cœperat ſerenisſima quondam Latini ſermonis facies, in atras tandem nubes coëgit invaleſcens *novum* illud artificioſisſimum, variis & undiquaque mira ſollicitudine congeſtis dicendi veneribus oppletum *Eloquentiæ genus*, quod antiquæ ſimplicitatis atque gravitatis quaſi pertæſum, præcipuam orationis virtutem in acutis ſubtilibusque ſententiarum argutiis, laſciviente verborum cultu, &

---

g) "*Quaſi vero ſit ulla verborum, niſi rei cohærentium virtus*" &c. Quinctil. Inſt. Orat. Lib. VIII procem. Et porro: "*Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum ſciamus tamen, nihil verborum cauſſa eſſe faciendum, cum verba ipſa rerum gratia ſint reperta: quorum ea ſunt maxime probabilia, quæ ſenſum animi noſtri optime promunt. Ea debent præſtare ſine dubio & admirabilem & jucundam orationem: verum admirabilem non ſic, quomodo prodigia miramur, & jucundam, non deformi voluptate, ſed cum laude ad dignitatem conjuncta.*"

"*Envain vous me frappez d'un ſon melodieux*
Si le terme eſt impropre, ou le tour vicieux,
Mon eſprit n'admet point un pompeux Barbariſme,
Ni d'un vers empoulé l'orgueuilleux Soleciſme."

Cfr. Boileau l. ſ. cit.

h) Cfr. Funccius De Immin. Lat. Ling. Senect. C. XI, §. 3.

& variis dictionum offuciis præſtigiisque ponebat *a*). Tumidæ hujus atque fucatæ eloquentiæ origines variis quidem tribui poſſunt cauſſis; jure tamen in illis indagandis eorum potiſſimum ſequendam putamus rationem, qui in hæc vitia Linguæ pariter ac Eloquentiæ exitialia, ſcriptores oratoresque hujus ævi tum demum illapſos eſſe, ſagacisſime obſervarunt, cum ægre viderent ſumma præteritorum temporum ingenia, omnes quaſi exhauſisſe ſimplicioris elegantiæ fontes, ſicque ſibi alia quam illis ad laudem contendendum eſſe via arbitrarentur; quo ducti errore blandos varios lateque micantes colores, & nitorem quemlibet fucatum naturæ illinentes, cerusſam eloquentiæ & ſtribiginem linguæ induere, peſſimo omnino conſilio aggreſſi ſunt. Quod corruptum dicendi & ſcribendi genus ab eo imprimis tempore caput audacius tollere cœpit, quo SENECA, Philoſophus vulgo dictus, vir ingenio, doctrina & auctoritate inter homines ſuæ ætatis maxime inclitus, ducem ſe & antiſtitem quaſi huic choro præberet, quam plurimos brevi nactus imitatores & aſſeclas, a vera majorum eloquentia tanto procacius aberrantes, quanto pauciores ſui haberet ingenuos vindices, quantoque jucundius nova hæcce ſonora & primo quidem aſpectu longe magnificentisſima dicendi ratio, ſen-

a) Taxat illam acerbisſime labentis Linguæ & facundiæ vindex QUINCTILIANUS, ſequentem corruptæ ſui temporis Eloquentiæ deſcriptionem exhibens: "*Falluntur enim plurimum, qui vitioſum & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſcivit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur, aut caſuris ſi leviter excutiantur floſculis nitet, aut præcipitia pro ſublimibus habet, aut ſpecie libertatis inſanit: exiſtimant populare atque plauſibile. Evaneſcunt hæc atque emoriuntur comparatione meliorum: ut lana tincta fuco citra purpuram placet: at ſi contuleris etiam lacernæ, conſpectu melioris obruatur.*" Inſt. Or. Lib. XII, Cap. 10.

sus & animos imperitorum feriret. Neque ex sola eorum auctoritate, qui corruptionem sermonis Latini de qua loquimur exagitarunt, quibus vero æras iniqua & male sana, invidiam egregiæ scilicet eloquentiæ obvertere vellet *b*), nos illam reprehendimus; superstant nostris adhuc temporibus ejusdem *Senecæ*, *Plinii* Junioris, *L. A. Flori*, *Valerii Maximi*, atque aliorum haud pauca varii argumenti scripta, quæ si adeamus, quantum laudati auctores, fervidæ ac levi etiam hodie mire placentes juventuti, sententiosum illud, acutum, & dulcibus, ut ait *Quinctilianus c*) vitiis abundans dicendi genus adamaverint, facile observabimus. Inani autem ac pæne puerili hocce inclarescendi studio ipsos maculis quamplurimis antiquam Linguæ honestatem conspurcasse decusque ejus imminuisse, nemo a partium studio alienus veræ elegantiæ censor negabit *d*). Inflatas enim & argutas sententias ubique captantes, sermone tumidiori & calamistris undique conquisitis easdem exornare studiose conati sunt. Quid? quod cum vera dictionis acumina non semper pro voto ipsis suffi-

b) Innuit hoc Quinctil. dum in judicio de *Seneca* ferendo, his sibi viam quasi præmunit verbis: "*Ex industria Senecam in omni genere eloquentiæ distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum, & invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi dum corruptum & omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendo.*" L. c. Lib. X, Cap. 1.

c) Texat nempe loco cit. *Senecam*, quod *in eloquendo corrupta* admitteret *pleraque*, *atque eo perniciosissima*, *quod abundant dulcibus vitiis.*

d) Veritas hujus observationis communi linguarum pæne omnium comprobari potest fato. Neque in Svecia exemplis destituimur eorum, qui nostris etiam diebus, phaleratam hanc eloquentiam & vanam dictionis pompam affectantes, linguæ haud parum offecissent vernaculæ, nisi iniquis his conaminibus, meliora ingenia sua viriliter oppositissent studia.

ſufficerent, frivolas nugas horum loco affatim cumulatas, tumida ampullarum & ſesquipedalium verborum pompa tegere, paupertatemque ingenii ineptiarum ubertate compenſare anxie allaborarunt, fucum potius quam ornatum quærentes. Ut autem, ubi elegantiarum numero laboratur, delectus eſſe non poteſt; ſic etiam novi Rhetores vocabulorum & dictionum unice inhiantes ſtudio, locum ſaniori judicio rarius relinquebant, frigida multaque jejuna & inepta orationibus ſcriptisque ſuis continuo immiſcentes. Et quamvis dijudicandis verbis ſingulis & dicendi formulis curam impenderent, a caſta illa & ingenua Ciceronis cenſura tota quanta abhorrebat, minutiſſimis quibusvis in quaque re potiſſimum intenta, inuſitataque & novitatis cujusdam ſpecie fulgentia, præ aliis amplectens *e*). Conſvetum ſimul ipſis erat atque egregiæ, ut putarunt, facundiæ munus, ſenſa ſua & animi cogitata acutis, conciſis & abruptis quaſi ſenſiculis includere; unde nec ellipſes juſto frequentiores nec vagas verborum ambiguitates evitare poterant, ipſis eo gratiores, quo certius putarent ſtilum ſententioſum ſplendidiſſimaque hæcce dicendi lumina præprimis idonea eſſe ad pondus, dignitatem laudesque perennes ſcriptis ſuis conciliandas *f*), quibus vero re ipſa orationem ſuam reddiderunt obſcuram & diſſolutam, linguæ vitiis ſqualidam, adeo-

e) "*Atqui ſatis aperte Cicero præceperat, in dicendo vitium vel maximum eſſe, a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Sed ille durus atque ineruditus: nos melius, quibus ſordent omnia quæ naturâ dictavit. Quibusdam nullus finis calumniandi eſt, & cum ſingulis pæne ſyllabis commorandi: qui etiam cum optima ſint reperta, quærunt aliquid, quod ſit magis antiquum, remotum, inopinatum.*" Quinctil. l. c. Lib. VIII. procem.

f) "*Nec multas plerique ſententias dicunt, ſed omnia tamquam ſententias.*" Quinct. l. c. Cap. 5.

que & auribus & ingeniis quibusvis bene natis omnino ingratam *g*). Degenerante ſic inſipientis turbæ moliminibus a virtute & ſplendore majorum eloquentia Latina, nec improviſa nobis obveniunt odia, quibus, teſte *Quinctiliano h*), novæ hujus facundiæ cultores, veteres intectarentur probatæ eloquentiæ Auctores. Suarum nempe ſibi conſcii ineptiarum, neque cum melioribus ſcriptoribus inſtitutam ſuſtinentes comparationem, nihil diligentius agebant, quam ut ſcripta eorum varia contumelia lacerantes, populum ac juventutem imprimis, a lectione eorum avocarent; unicum ſic quem adire licuit probatioris judicii fontem *i*) callide obturantes.

Ne vero injurii in *Senecam*, quem ducem & auctorem quaſi reliquis eloquentiæ Romanæ corruptoribus præfecimus videamur, monere cum *Quinctiliano* oportet, illum multis quoque ac præclaris ornatum dicendi virtutibus, a pravis ſectatoribus, qui ſola ipſius imitati ſunt vitia, immerito ſæpius in infamiam adductum fuiſſe, cum ipſius dicendi genus ſeſe accurate expreſſiſſe prætenderent; quamvis ſimul infitiandum minime ſit, *Senecam*

---

g) "*Subſiſtit enim omnis ſententia: ideoque poſt eam utique aliud eſt initium. Unde ſoluta fere oratio & e ſingulis non membris, ſed fruſtis collata, ſtructura caret, cum illa rotunda & undique circumciſa inſiſtere invicem nequeant.*" *Id.* l. c. Idem hoc vitium *Senecæ* exprobravit *Caligula* Cæſ. dum ſcripta ejus *arenam ſine calce* dixit. Cfr. Svet. in Vita Caligulæ, Cap. 53.

h) Affirmat hoc de Seneca præſertim Quinctilianus: "*quem non equidem omnino conabar excutere, ſed potioribus præferri non ſinebam, quos ille non deſiderat incesſere, cum diverſi ſibi conſcius generis, placere ſe in dicendo poſſe iis, quibus illi placerent, diffideret.*" Inſt. Or. Lib. X, Cap. 2.

i) "*Sanctitas certe, & ut ſic dicam virilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione defluximus.*" Quinctil. l. c. Lib. I, Cap. 8.

eam imprimis illam inſolentius & aperuiſſe & calcaſſe viam, qua poſt ipſum tam lingva quam eloquentia Romana ad corruptionem properarunt, quam hunc in modum deſcribit idem ſæpius nobis laudatus QVINCTILIANUS: "*Quod recte dici poteſt circuminus amore verborum; & quod ſatis dictum eſt repetimus: & quod vno verbo patet, pluribus oneramus: & pleraque ſignificare melius putamus quam dicere. Quid? quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod & alius dixiſſet. A corruptiſſimo quoque Poëtarum figuras ſeu translationes mutuamur: tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio*" *k*).

---

k) L. cit. Lib. VIII, procem.